

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
ALDINI
I
5
13
RACCOLTA NENCINI


CRATIN
MANUSIUS
ALDUS









ald. 1. 5


BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
ALDINI
I
5
13
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Ioannis Nencini
1874

ORATIO
DE
FRANCISCI
MEDICES
MAGNI. ETRVRIAE. DVCIS
LAVDIBVS

Habita ab Aldo Manuccio

in Augustissima Aede Pisana,

XII. Kal. Dec.

CIↃIↃ XXCVII





FLORENTIAE

Ex Typographia Georgii Marescotti.

Superiorum permissu

MEMORIAE

MAGNI·COSMI MEDICES

IO.F.

ETRVRIAE.MAGNI.DVCIS

PERPETVA.MODERATIONIS.LAVDE

IN.SVMMA.POTESTATE

CLARISSIMI

AD. PRAECLARA. OMNIA. NATI

IN.EAM.PRECIPVE.CVRAM.DVM.VIXIT.INCVMBENTIS

VT.SIBI.QVISQVE

MAXIMVM. IN. LEGIBVS. PRAESIDIVM

ESSE.CONSTITVTVM.PVTARET

SVMMI.CVM.IMFINIS.PARI.IVRE.TENERENTVR

NEMO.PRAETER.CVLPAM.QVIDQVAM.TIMERET

LIBERALES.DISCIPLINAS.VETERE.MAIORVM.EXEMPLO

MAGNIS.PREMIIS

AD.ANTIQVAM.DIGNITATEM.REVOCANTIS

TOT.DENIQVE.VIRTVTIBVS.ORNATI

VT

VBICVMQVE.NASCI.CONTIGISSET

IBI.PRIVATVS.ESSE.NON.POSSET

ALDVS MANVCCIVS
ORATIONEM.HANC
IN. FRANCISCI. PARENTALIBVS. HABITAM
DAT.DICATQ.
D. N. M. Q. E.





VANDO, in commu ni omnium dolore, ſqualore, & lacry- mis, ego potiſſimũ, nullius ingenii, nul lius doctrinæ, nulli us eloquẽtiæ, ad hanc prouinciã obe undã a vobis lectus ſim, uiri Piſani; ma gnopere cõturbor; cũ eum Principẽ laudãdum, attollendumque, ſuſceperim, a quo omnium res geſtæ, omnium ſuperiorum gloria, obſcurata ſunt; & animus meus, in tanta rerum copia, in tam amplo, latoque, uirtutum campo, incertus, uaguſque, feratur, & magnitudine, & excellen tia, geſtarum facile rerum obruatur: cum præ- ſertim intelligam, perdifficile eſſe, pari in cala- mitate, & ſordibus, ſuæ, & alterius vno tempo re, meſtitiæ, ac lacrymis, conſolatione occurre re. Frangit præterea animum concurſus hic fre quentiſſimus, tanta nobilium corona, & horum omnium ora, uultuſque, ipſi atrati parietes, in tam longo, crebroque, luminum ordine, in hoc præſertim Delubro, inter auguſta terrarum me morato. exaudio ſimul veſtris lamentationibus, veſtris queſtibus, maeſtam, ac lugubrem, uniuer

ſam

ſam fere reſpondentem Europam. cerno nihil a luctu, nihil a mærore, reuocatum; omnia triſti cantu, & iuſtitio, funeſta; omnia mihi dicenti noua, terribilia, inuſitata. Sed malo, in tantis anguſtiis, veſtra fretus humanitate, & in me audiendo benignitate, ineruditi, atque indiſerti, apud diſertiſſimos homines, oratoris notam ſubire, quam ingratus uideri erga Franciſcum Medicem, Magnum Etruriæ Ducem, uiuum, mortuumque; a quo maximis officiis nobilitatus, auctus honoribus; cuiuſq. ſemper cognoui in me, uoſq. omnes, mirificum benefaciendi ſtudium, & alacritatem. Verum, a quibus exordiis mea emanabit oratio? unde principium auſpicabimur? Vultis ne, eum laudari a maioribus? quod etſi ueram, ſolidamque, laudem non affert, Magno tamen Franciſco non defuit. Maiorum enim imagines tam excelſae, tam illuſtres, tam uetuſtæ, ſic longe, lateque, pateſcunt, nulla vt ſit gens, nulla natio, tam citima Soli, aut tam ab illo ſeiuncta, ad quam non Mediceæ Familiæ laudes, & præconia, decurrerint. A Magni Caroli ætate, eſt in hominum exſtimatione, & fama, Auerardus, cuius immortale tropheum, ex ſtrato Mugello, tyranno illius aetatis pugnaciſſimo, oſtentatur. Hinc clariſſimę domus iacta fundamenta. hinc erectum faſtigium, &

cul-

culmen rerum. Subſecutus Iacobus Medices, pari animi magnitudine, & præſtantia, fortuna inferior, funeſtiſſimo ad Mōtem Caſinum Marte, quanta edidit virtutis facinora? Huius veſtigia premens Ioannes, Bernardini F., quam acer bellator, quam toga excellens? Alterum Ioannem, eiuſq. fratrem Silueſtrum, num degeneraſſe ab auita præſtantia exiſtimatis? tantum ab fuit, vt Archiepiſcopo Vicecomiti, in Etruriam inuadenti magna manu, & accenſa cupiditate pugnandi, cederent, ut ultro pacem petere, & abſcedere a Mugelli obſidione, cōpulerint. Quid præterea commemorem alterum Silueſtrum, Auerardum ſecundum, eiusq. filium Ioannem, aut nepotem Coſmum priorem? qua virtutis fama, qua moderatione, qua prudentia, quo ſplēdore, vixerunt? omnium ætas, omnium ſcripta, omnis poſteritas, decantarunt. De Laurentio poſtea, Petri F., quæ tam ingratæ exſtitere ſcriptorum voces, vt de tam diuina hominis gloria, magnitudine que, contiſcecerent? eo enim ſe virtus effudit, eas gentes peruagata eſt, vt cariſſima Danubio fuerit, veneranda Canopo. tantum virtuti, & præſtantiæ, tribuitur, & tanti apud omnes gentes fit, vt ab exteris quoque ametur, colatur. Et gemina thyara, & gemina trabea, ac veneranda faſcium amplitudo, non ne clariſ

ſima

ſima in luce verſatur, Leo X., & Clemens VII.? quibus quid fuit liberalius? quid magnificẽtius? quid ſanctius? quid auguſtius? An de Catharina Medices, in ampliſſimo, altiſſimoque, Galliæ faſtigio locata, silendnm eſt? Quid de armorum fulmine, & Italici nominis Marte, dicam? Ioannes Medices, huius Franciſci auus, quanta armorum excellentia, quanta dignitate, floruit? qui cum ex humanis exempto occidiſſe Italicã gloriam, militaremq. virtutem, dixiſſes. non enim eo uiuente, & barbarorum agmina ſternente, arx rerum, & regina gentium Roma tam turpiter, tam miſerabiliter, tot ludibria, tot cruciatus, pertuliſſet. Quid Magnus Coſmus? non ne cognomen virtute, & fortuna, æquauit? Horum digniſſima ſoboleſ Franciſcus, tanta Familiæ gloria, & auito ſplendore, ſe undique effulgentem intelligens, haud inſcius, hæc fortunæ, non uirtutis, eſſe ornamenta, ut primum per ætatem licuit, eo incumbere, in id omnia ſtudia, omnia conſilia, cogitationeſque, conferre, vt maiorum gloriam ſuperaret, & in ſe vno fuſa tãtæ dignitatis, & gloriæ, ornamenta emicarent. Primis ergo adoleſcentiæ annis, acumen ingenii, & memoriæ præſtantiam, ad hauriendas diſciplinas contulit: non ignorans, doctorum hominum conſiliis, & ſcriptis, ſtare Remp.; &,

in tan-

in tanta negotiorum mole, regnantem indigere consilio, & prudentia, eorum præsertim, qui usu, exemplo, & doctrina, excelluerunt. nullis etenim Princeps disciplinis imbutus, nullo excultus doctrinæ genere, quam sæpe hebescit? quam crebro labitur? Hic vero Princeps apud focos, penatesque, ueluti auitam disciplinarum hęreditatem capessebat. in quibus ita illustris extitit, tam præclarus euasit, ut, haustis Latina facundia, & Attico eloquio, apud nos Atheniensis, apud Atticos Romanus, crederetur. O præclaram adolescentiam. O diuinam Principis mentem. O laudabile, & imitabile Principibus omnibus, consilium. Firmata mox ætate, ad rerum arcem destinatur a Patre; ut, quæ ipse, tanta diligentia, & uigilantia, legerat, quæ ex aliorum scriptis axhauserat, in Romana Aula oculis, usuque, deprehenderet. Ita fuit Pio IV. Pont. Max. gratus, tam acceptus, ut nihil supra. Transcenderat ætatem prudentia. uicerat exspectationem præsentia. spem Patris, amicorumque, antecesserat. sapientes consilii acumine æquare. excellere paribus. minores, & infimos, non dedignabatur tanta morum suauitate, tanta comitate, ut & in homine pariter maiestas regnantis, & humanissimi uiri actiones cospicerentur. Rarum hoc, Auditores, & prope inusitatum apud

Principes. Quotum enim quemque reperias, qui magnis opibus, & summa dignitate, præditus sit, & humanitate cum decore coniuncta? Duarum enim istarum rerum ea est uis, atque natura, ut facile inter se discrepent. A Romana vrbe Franciscus reuocatus, in Hispanias ad Philippum mittitur. Quod iter qua animi magnitudine, qua liberalitate, cõfecit? Sic deinde fuit apud Philippum, ut grauissimi, sapientissimique, Regis commendationem cumulato præconio meruerit. Sed, quod tam diuinum dicendi genus, quod tam uber eloquentiæ flumen, exsistet, ut Francisci memoriæ, & glorię, satisfiat? Quid illam dignã Principe faciem, decoram proceritatem, celsum incessum, firma latera, uirilem uocem, attollam? Postmodum, ex Hispaniis decedens, satis illi Aulae probatus, omnibus optime notus, Ioannæ Austriacæ, Maximiliani Cæsaris filiæ, nobilissimę puellę, toro alligatur; &, adhuc uiuente Patre, mira Patris indulgentia, ad capessendum euehitur imperium. in quo quanta continentia, & moderatione, uixit? Efferuescebant iuuentutis calores, ęstuabant pubescentis ętatis illecebræ, in tanta uoluptatum copia, in tam longe, lateque, fusis opibus. Cuius umquam fuit uiolatus thalamus? expugnata castitas? aut libidine funestata cubilia? Animus,

scri-

ſcriptorum lectione inflammatus, Principum, quos uiderat, exemplo, magis magiſq. incitatus, ita actiones ſuas, omni prorſus exploſa libidine, confirmarat, ita ſancte legum poteſtati, imperioque, faſces ſubmiſerat, ut, ſuis non uulgari ad bene, modeſteque, uiuendum præbito exemplo, & incitamento, Scipioni illi maiori, Africano, Pompeio, & Alexandro Macedoni, non appareret inferior. Prætereo incredibilem pietatem erga Numina, ſummam erga Pontificum nomen obſeruantiam, mirum in ſacratos uiros obſequium. Intelligebat ſapientiſſimus Princeps, Regnorum omnium fundamentum eſſe Pietatem: qua fugata haud dubie mente baſi, facile amplitudinem, maieſtatemque, eodem motu, labefactatam, corruere. Sic præterea iuſtitiā coluit, ſic eſt amplexatus, ut ſuarum actionum arcem, & tutelam, diceret. Et re uera nihil iuſto Rege eſt carius, nihil iucundius, nihil amabilius, nihil optatius. Et merito, iureq. optimo, ex hiſtoriarum incorruptis monumentis, accepimus, Traianum, Antonium Pium, Septimium Seuerum, Alexandrunq: Mammeę, a laudata illa, & bene morata, Romana Rep. maximis pręconiis, & magno ſtatuarum numero, fuiſſe decoratos: Et nos nihil Franciſco tribuemus? Cuius æquitatem, facilitatem, & in audi

endis

endis subditis patientiã, nõ legimus, nõ auditione accepimus, sed uidimus, & manu tetigimus, & cum admiratione per animos uolutamus. Itaq. hac rerum experientia Franciscus, hac nominis fama, a Gregorio XIII. Italicarum copiarum imperator (si bellandum esset) declaratur. Et quo Italica gloria, Romanaq. disciplina, melius, præstantiusque, potuisset enitescere, quã imperante Francisco? cuius uel togati nomen barbarorum gentes horrebant? testis est Africa, huius armatis triremibus lacerata. testes sitientia Maurorum arua, accolarum sanguine exsaturata; mare, hostium corporibus oppletum; Syriæ, Ciliciæ, Palæstinæque, litora, & oræ, Christianis signis peragrata; sic, at ea piratarum rabies, paullo ante uisceribus nostris debacchata, cruentatis litoribus repressa, intra angustum Africæ solum æstuaret, pauida metu sui, non oblita Francisci nominis, horrensq. uirtutem, dignationem, uires, audaciam, & fortunam. Et tamen Etruria summo otio, Francisci prouidentia, fruebatur. Clarissima Principis laus, non abuti fortuna, & potestate. Aderant centuriatæ cohortes, lectissimæ equitum turmæ, florens auxiliorum manus, magna uis pecuniæ, summũ nomen. & tamen crescere subditorum fortunas pace maluit, quam sago. pace nanque fortunæ

ciuium

ciuium crescunt, bonarum artium disciplinę uigent, florent campi, exornantur opida: in bello omnia mala stupra, adulteria, cædes, rapinæ, incendia, uastationes. nihil est tam sanctum, quod non scelerata uiolet bellantium audacia; nihil tam nefarium, quod refugiat. conculcatur ipsá religio: funestantur templa: & ipsæ deorum immortalium aræ quam sæpe innocentium cruore madescunt? Vidistis, Auditores, regnante Francisco pacem Augusti, & celebrata illa sæcula. re autem uera hęc Prouincia indigebat huius diuini Principis moderatione; cum paullo ante, Cosmi tempestate, grauissimis quassata bellis, & diris uastata tumultibus, moderatissimum Principem nancisceretur; qui, expulso omni tempestatum imbre, quiete sua, & cõtinentia, tranquillitatem prouincialibus afferret. itaque gaudetis, uos ex terribili procellarum fragore ereptos? eripuit Franciscus. lætamini, infinitas illas, atque ęrumnosas, ciuilium armorum dissensiones, metusq. sublatos? sustulit Franciscus. ouatis, uos in ęterna pace constitutos? constituit Frãciscus. regionem uestram omnium disciplinarum genere, & gloria, florentem Francisci industria, omnia denique bona, quę isto imperante uidimus, (quid autem boni non uidimus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus

remus

remus Francisco . Incredibile est, Auditores, quantum in eo uiguit studium, & desiderium, pacis inter Christianos Principes tuendę; quantumq. exarserit aduersus Christianæ Religionis hostes cupiditate bellandi. Id assidue a Pontifice, id a Philippo Rege, postulauit, expoposcit, deprecatus est. Iam uero, si ad magnificentiam huius Herois perpendēdam accedimus, quo pręconio celebrabimus? Eas ipse uasti animi, & dignas genere, moles iecit, ea excitauit ędificia, iis Regalibus impensis magnificentissima Palatia architectatus est, construxit, exornauit, ut Etruria tota illustraretur, & plerisque renouata uetus illa Romana magnificentia uideretur. Transgressus Assyriorum fastum, Persarum gloriam, Aegyptiorum labores, fuit non obscurus ęmulus Romanę glorię. Iactabantur auditu, & admiratione, equatę hinc ualles, aut in cacumen erectę, deducta montium fastigia, & æquata solo, perforati montes, stratę lapidibus uię, frenati pontibus fluuii, aquęductus, amphitheatra, balnea, obelisci. Quę omnia, quanto finitimorum detrimento, quanta pagorum ruina, quanta Vrbium strage, quanta machinatorum insolentia, quantis populorum ęrumnis, gesta, & facta, legimus? aut meminimus? Hic uero, nullis aliorum sumptibus, nullis impensis, nulla

alterius

alterius iniuria, ea construxit ędificia, quę admirarentur potius posteri, quam imitari se posse confiderent. Sed ista nimis cum aliis communia fuere Francisco. Ad id, quod peculiare, quod eximium, & diuinum, in hoc Heroe fuit, deueniamus. Vxoris, pudentissimę, lectissimæque, feminę, iam multorum liberorum parentis, intempestiuum fatum tam mansuete tulit, ut ipsa sua tolerantia, & magnitudine animi, seipsum solaretur, & a cęteris, non sine ingenti stupore, & pietate, lacrymas, eliceret. Mox, pari ictu fortunę impetita domo, unico filio, pręclarę indolis, & spei, subito erepto, num deuoluta in questus, aut lacrymis insitam animi celsitudinem dedecorasse putatis? nihil minus. O fortitudinem pręd icandam. O diuinam cōstantiam. Filii morte, cuius spiritui, & aurę, amplissima ditio, auitę maiorum opes, spes subditorum, senectutis solatium, nitebantur, non infringi, non contundi, non debilitari, diuinitatis est potius, quam mortalitatis. Quos enim, & quot, legimus, parentes, nimio liberorum desiderio, misere uitam finisse? aut, si dolor intra spiritum steterit, turpissimis lamentationibus, muliebribus lacrymulis, pręclaram anteactam uitam foedasse? Sed Franciscus intelligebat, illo suo diuino iudicio, ab se mortalem genitum; & om-

nes ea lege nasci, ut semel moriendum sit; nec in hac uniuersitate quidquam esse perenne. non philosophus, sed Christianus philosophorũ gloriam exsuperabat. se ipsum, in maximis domesticę calamitatis fluctibus, inuictum pręstabat. Nec uero in gemino uxoris, liberorumque, funere, sed etiam in interitu suo, humanitatis sensum animi magnitudine uicit. sic enim in extremo spiritu constans, & inuictus, fuit, ut mortem facile conteẽneret. rite expiatus, sacro etiam uiatico munitus, despiciebat hęc mortalia, toto animo ad cęlestia rapiebatur, ea anhelare, iustorum fatum non infelix, carum ipsis, acerbum prędesiderio posteritati. Et uere, si res suo pondere perpendatur, ea Vita dicenda est, qua, his uinculis relaxati, omnibus ęrumnis liberi, ad cęlestem illam Patriam, quietis, tranquillitatisque, plenissimam, euolamus. eà Mors dicenda, qua bis est occidendum. O te felicem Franciscum, o beatum; qui, ęterna aura fruens, maximum nobis tui desiderium reliquisti, nostris lacrymis associatis elementorum questibus. Recordamini, Auditores his pręteritis diebus fulgurum iactus, uolitantes cęlo faces, imbres, procellas, funestos uulnerum cantus, dirosq. eiulantis naturę horrores. omnia moriente Francisco gemiscebant; pallebant sidera; pullatum uelum tristabatur;

batur;omnia elementa Magno Francisco parentabant; nostręq, lacrimę, gemitus, dolores, luctus, acerbitates, mutarum sensu rerum uincebantur. Sed, cur ego nondum obducta uulnera recordatione refrico? cur geminatos fletus edico, cur uestrum omnium mentes, magnanimi Herois cupiditate, inflammo? cur concutio? Est uero mihi excitandus aliquis ex Illustrissima Familia, qui hiantibus uulneribus uestris medeatur, qui dolorem leniat, qui fletus abstergat. Ioannes potissimum auus erit. Hunc ita uos alloquentem proponite: Quid Magni Francisci mei funera, & busta, lacrymis commaculatis? cur eterni nominis famam his questibus dehonestatis? Est grata manibus. uestra in hoc commuui luctu lugubriq. adspectu, uoluntas: gratissima semper, & iucundissima, uestra officia, beneuolentiaque, fuere. non obliuiscitur horum mea progenies; commendat uestram pietatem, extollit studium erga se; cohibete gemitus: abstergite fletus. hic, quem uos lugetis, ęternis beatorum sedibus potitur; est sideribus conciliatus; eo tandem peruenit, quo uota sua optarant, anhelarant, sperarãt. imitamini illius mansuetudinem, tolerantiam, & sanctitatem. fugate omnem ex animis uestris acerbitatem, ex illius fato contractam. Ferdinandi, mei, Patris, maiorumque,

uirtute, orisq. lineamentis, simillimi, magnitudini, sapientię, uirtutique, confidite. aluit Principem Roma, sacra purpura late gentibus ostentauit. est usu firmatus rerum; excellens ingenio; consilio eximius; pietate diuinus. Breui, in hoc uestro Principe, Franciscum fratrem, & Cosmum patrem, uiuentes, & redditos uobis, uidebitis. ad quid inanes hos questus, & uoces, iactatis? cur tumultuamini? His igitur uocibus uestra non lenietur acerbitas? non mitescet dolor? Quare, nobilissimi Pisani, quiq. adestis omnes, ite mecum in uota pro noui Principis salute. noua, inusitataque, lętitia, ueteris doloris recordationem abiicite. obruite, quidquid est acerbum, aut crudele; hęrente semper uisceribus uestris Francisci diuinarum uirtutum memoria.

DIXI

